



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus X. De His, Quæ Fiunt A Prælatiſ Sine Conſenſu Capituli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS SINE CONSENSU CAPITULI.

CAPITVLVM I.

Irrita.

PARAPHRASIS.

Rei Ecclesiasticæ donatio, venditio, aut permutatio facta ab Episcopo sine approbatione, & subscriptione Capituli irrita est.

SUMMARIUM.

1. Ad valorem contractus circa res Ecclesiasticas de iure communi SS. Canonum requiritur scriptura.
2. Huius tamen communis doctrine plures afferuntur limitationes, præsertim circa consensum, & subscriptionem Capituli ad validam alienationem.

Notandum primò, Ad substantiam, ac veluti formam alienationis rei Ecclesiasticæ, quæ immobilis est, aut mobilis pretiosa, & serando seruari potest, requiritur consensus Capituli. De hac re egi lib. 3. tra. 4. de iustitia c. 10. ubi docui n. 4. requiri etiam consensum, & auctoritatem Superioris.

Notandum secundò, Iste est unus casus, in quo spectato communi iure Ecclesiastico ad valorem contractus requiritur scriptura, & subscriptio Capitularium. Alioquin verò traditur regula negativa ad substantiam contractus non requiri scripturam, sed spectato iure naturali in consensu partium fundetur L. pactum 17. C. de pactis Gl. in c. 1. v. in scriptis, de censibus in 6. nisi id iure expressum sit. Verumtamen, licet contractus cum Ecclesia institutus in scripturam redigi debeat, tamen non ubique receptum est, ut Capituli subscriptio accedat, sed satis esse censetur, si in instru-

mento manu notarij scripto de Capituli consensu mentio fiat.

Limitari debent, quæ dicta sunt, primò, Satis esse, si consensus Capituli postea superueniat, siue Capitulum alienationem præcedentem, cognitâ causâ necessitatis aut utilitatis, ratam habeat; idèmq; sentiendum de consensu Superioris. *argum.* L. Julianus is S. si quis à pupillo ff. de actionibus empti, ubi dicunt DD. quòd contractus initus cum pupillo sine tutoris auctoritate claudicat, quia obligat alterum contrahentem, si tutor postea consensum, & auctoritatem adiciat. Item *argum.* si qua de rebus cause 12. q. 2. ubi dicitur, quòd contractum cum Capitulo celebratum, Sede vacante, successor consensu suo ratificare possit, prout dixi in c. 1. ne sede vacante &c. Pro ratione assignare debemus Ecclesiæ favorem, nam quòd ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *regula 61. in 6. & videri potest Lex non eominus 14. de procuratoribus.*

Limita secundò, Quòd ad donationem, vel alienationem, quam facit Episcopus de bonis mensæ suæ erga Capitulum suum Cathedralè, solennitas non requiritur, prout docet G. in Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis v. Ecclesiæ. *Guilelmus Redoanus de bonis Ecclesiæ non alienandis rubrica 33. casu 10. Honorius super hoc tit. n. 5.* quia res manet in dominio Ecclesiæ propter unionem, quæ est inter Capitulum, & Prælatum, tanquam inter corpus & caput c. novis 4. hoc tit. & simile est, quòd docent DD. in L. voluntas. L. de fidei commissis, si prohibita sit à patre alienatio fundi, non prohibet fratri, quòd minus fratri donet, vel aliter in ipsum transferat.

Da

Addo

Addotamen, talem alienationem rescindi posse à successore, ostenso, eam justâ ratione utilitatis, aut necessitatis nixam non fuisse, cum Prælatus non sit dominus rerum prælaturæ, sed procurator, & administrator. *c. 2. de donationibus.* Sed ex causa, justa videl. si mensa Episcopalis abundet, Capitulares autem indigeant, donatio fieri potest, etiam salvo juramento non alienandi sine licentia Papæ, cum non sit propriè alienatio, prout notavit *Gl. in Clem. ult. v. Ecclesiam. de rebus Ecclesia non alienandis.*

Limita tertio. Si Capituli consensus requiri non possit, quia v. g. belli tempore dissipatum est, tunc propter necessitatem alienatio fieri potest convocatis alijs Clericis, vel etiam in horum defectum alijs testibus. *argum. c. nullus. 39. causa 17. q. 4. & videtur potest Abbas hic n. 7. Redoanus in cit. rubrica. casu 1. n. 21. ubi ait, si Prælatus solus, & absque Capitulo reperitur in Ecclesia, tantundem potest solus in alienatione bonorum, quantum cum Capitulo.*

Limita quarto. Quod Capituli consensus, & alia solennitates non requiruntur in alienatione rei modicæ, & parùm utilis, prout ex communi docet *Abb. in c. ult. n. 9. de Ecclesijs adificandis, & docui in supra cit. c. 10. n. 5. in fine.*

Limita quinto. Quod Episcopus, vel similis Prælatus de proventibus mensæ suæ alienando etiam possessionem aliquam possit Ecclesiæ, vel Monasterio ædificando, vel Xenodochio, aut pauperibus alendis subvenire, vel in similem pium usum expendere, dummodo quinquagesimam partem censûs non exhauriat, *c. Apostolica 9. de donationibus c. bona 74. causa 12. q. 2.* Et non requiri consensum Capituli, aliasque solennitates, cum à Jure talis facultas concessa sit, dummodo Ecclesia abundet redditibus, & idèd in notabile ejus detrimentum non cedat, tradit *Gl. in cit. c. bona. Abbas in cit. c. ult. n. 14. Redoanus casu 9. Paulus Præsecius in praxi Episcopali p. 2. c. 5. n. 27. Honorius super hoc tit. n. 5.* Veruntamen in

quibusdam Ecclesijs Episcopus in capitulatione juramentum edere solet, quod censûs annuos Episcopatus non imminuet, aut nihil alienabit sine Capituli consensu: quod tamen nihil obstante, ex fructibus mensæ suæ, non contractis debitis, in pias causas erogare potest.

Limita sexto. Si evidens sit necessitas alienandi, & Superior consuli, aut consensu ejus postulari non possit, tunc non obstant juramento, quod v. g. Episcopi facere solent, non alienandi res Ecclesiæ, inconsulto Papa, alienationem instituere potest Prælatus propter necessitatem *argum. c. nullus ante cit. & docui Abbas in cit. c. ult. n. 1. Præsecius n. 28. Redoanus casu 1. n. 2. ubi ait, neque Capituli consensum in tali casu requiri, sicuti, si res modicæ, & parùm utiles alienentur. Quâ eadem ratione, si Prælatus, vel Capitulum, Sede vacante, propter necessitatem, pecunias mutuas accipit, Ecclesiâque obligavit, ostensâ eâ necessitate, successor solvere tenetur, prout ex communi docet *Redoanus casu 1. Præsecius cit. p. 2. c. 5. n. 30. Abbas in c. 1. n. 1. de solutionibus, & hoc notandum esse monacho Sylvest. ijs, qui Superiorem habent in loco valde remoto degentem.**

Limita septimo. Quod Mendicantes, nisi bona immobilia, & redditus possidere non possunt, talia sibi donata, aut legata non ulla solennitate alienare possunt, vel *de doano rubrica. 33. casu. 3. n. 22.* ubi generalem regulam tradit, quod solennitates, quæ exiguntur in alienatione, tunc non est in obligatione, si fiat alienatio rei, quæ redditibus non potest. Idem docet *Sa. v. alienatio n. 7.*

Limita octavo. Si res, v. g. domus, plus incommodi afferat, quàm commodi, quàm plus in eam expendi debet, quàm exinde percipi possit, etiam absque solennitate alienari posse videtur, dummodo hæc causa notoria sit. Ita idem *Redoanus casu 1. argum. c. non licet 20. causa 12. q. 2.* Quia Prælatus tunc utiliter gerit Ecclesiæ negotium, & alioquin si talis alienatio prohibe-

veller, conseqens foret, ut, quod pro Ecclesiarum utilitate statutum, in earundem detrimentum tenderet. Consultum tamen semper est, tractatum præmittere, & consensum Capituli requirere *c. sine exceptione causa 12. q. 2* ita tamen, ut si causa alienandi evidens, & necessaria sit, Capitulum repugnare non possit: quemadmodum hoc idè dicitur de patrono Ecclesiæ, licet ejus consensus in alienatione requirendus sit, si tamen causa & necessitas alienandi manifesta sit, quod contradicere, aut opponere se non possit, cum nec Patronus, nec Capitulum Ecclesiæ utilitatem, aut Prælati administrationem quatenus eam Ecclesiæ necessitas exigit, impedire queat, prout singulariter noravit *Abbas in c. cum accessissent n. 5. de constitutionibus.*

Limita nond. Quod Prælati fundum antea legitime in feudum, vel emphiteusim concessum, & ad Ecclesiam liberè reversum, iterum sine alia solennitate, modo simili concedere possit, etiam non requisito consensu Capituli, *Extravag. ambrosiose Pauli II. Pontificis*, dummodo eadem causa concessionis durare videatur, & non cum conditione graviore Ecclesiæ concessio fiat, atque peritio augeatur, si fundus melior effectus sit, prout hanc rem explicat *Præfatus sp. 2. c. 5. n. 20. Molin. tra. 2. de justitia di. p. 466. n. 2.*

CAPITULUM II.

Continebatur.

PARAPHRASIS.

Abbatissa quædam cuidam nomine H. decimas concessit, Conventus non requisito. Postea verò, cum concessio videretur irrita, sub alia forma eidem nova facta est concessio, Cum conventus assensu. Dubitatum fuit, utra concessio valeret. Respondet Alexander III. priorem concessionem validam esse, si facta fuit Conventu sciente, & non contradicente. Sin autem conventus ignoravit, aut contra-

dixit, secundam concessionem subsistere.

SUMMARIUM.

1. Rerum ad Monasterium pertinentium administrationem habet Abbatissa.
2. Ad quam rerum Ecclesiæ alienationem à Prælato faciendam, temporalem tantum, aut perpetuam, personalem, vel realem, requiratur expressus Capituli consensus?

Notandum primò, Abbatissa competit administratio rerum ad Monasterium pertinentium, & earum, quippe Ecclesiasticarum, prohibita est alienatio, nisi fiat præcedente tractatu, & consensu Conventus Sanctimonialium. Ita *Abbas hic n. 4.* ubi ait, quod Abbatissa, non obstante sexu fæmineo, habet administrationem rerum monasterij, sicuti Abbas habet in monasterio virorum; consequenter, ordinariè loquendo, Abbates, & Præpositi Regularium non possunt se immiscere administrationi, sed habent tantum visitationem, & regularis observantiæ curam cum spiritali jurisdictione.

Notandum secundò. In alienatione rerum Ecclesiasticarum temporali non requiritur Capituli consensus expressus, sed sufficit tacitus, quia taciturnitas Capituli scientis, & non repugnantis habetur pro consensu. Ita *Gl. hic* fermè communiter recepta à Canonistis. Veruntamen, cum casus hujus Capituli non satis explicatus sit, idè certa ex eo doctrina colligi non potest, sed necesse est, ut aliorum Canonum adminiculo hanc rem decidamus.

Itaque distingue. Si non perpetua, sed temporalis, sive ad certum tempus fiat alienatio, seu concessio, v. g. locatio fundi, num ea fiat ad tempus longum, videl. decem annorum, aut ultra; an verò ad tempus non longum; & iterum, num locatio personalis tantum sit, sive nomine proprio ipsius Prælati, Rectoris, aut beneficiarij facta, an verò realis, seu facta nomine dignitatis, aut Ecclesiæ.

Dd 2

Dico

Dico primò. Concessionem, seu locationem realem, sive nomine Ecclesiæ, ad tempus longum non potest facere Prælatus absque Capituli expresso consensu, & alijs solennitatibus jure requisitis. Ita colligitur ex *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Et docent DD. *in c. nulli eodem tit.* quòd nomine alienationis rerum Ecclesiasticarum prohibita comprehenditur etiam ea concessio, quæ dominium utile, seu jus tantum utilitatis transfertur, quod fit per locationem ad decem annos, vel ultra, *juxta Gl. & DD. in c. ult. ff. si ager vestigialis, vel emphyteuticarius &c. Covarr. lib. 2. resolutionum c. 16. n. 1. Molin. tra. 2. disp. 445. n. 2.* Contractum quidem hoc tempus est à Paulo II. *in cit. Extravag.* ad locationem ultra triennium, ut etiam talis prohibita sit, perinde ac si ad tempus longum facta sit: sed eam extravagantem quoad hoc in multis regionibus non receptam esse, monuit *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 5.*

Dico secundò. Prælatus absque consensu Capituli expresso, alijsque omittis solennitatibus fundum nomine Ecclesiæ, seu in utilitatem Ecclesiæ locare, aut concedere potest ad tempus breve, seu non longum. Ita sumitur ex *c. ult. ne Prælati vices suas &c.* Et idem fortasse est intellectus hujus Capituli, & tradit *Covarr. lib. 2. resolutionum c. 15. n. 6.* Ratio est manifesta, quia ad Prælatum pertinet administratio rerum Ecclesiæ; atque ad administrationem ac bonam œconomiam spectat, ut fundi, cum proprio labore excoli frequenter non possint, alijs elocentur pro pensione. Accedit, quòd hæc locatio propriè non sit alienatio, cum nullum jus dominij transferatur in conductorem, seu colonum, itaque in ea non requiruntur solennitates juris statuta pro alienationibus rerum Ecclesiasticarum.

Nihilominus spectato communi jure in talibus Capituli consilium requiri debet, sed non idèò Prælatus illud sequi tenetur, nisi Capitulum ostendat locationem Ecclesiæ noxiam esse; atque de tali locatione,

seu concessione, quæ sciente Capitulo, aut saltem non rationabiliter repugnante facta fuit nomine Ecclesiæ, dicitur, quòd eà Successor stare teneatur, sicuti dicitur *in cit. c. ult.* & bene declarat *Covarr. cit. c. 15. n. 6.* Si Rector alicujus hospitalis (nam bona hospitalis, auctoritate Episcopi constituta, inter pia, & Ecclesiastica numerantur) ad annum tantum constitutus, vel aliud tempus locaverit ad triennium, ipsi fundum jure concessum, obligari Successorem ad locationis contractum servandum, quantum si Ecclesiæ læsa sit, restitutionem in integrum petere non prohibetur.

Advertendum tamen, quòd in *Concilio Tridentino Sess. 25. c. 11. de reformatione* prohibita sunt illæ locationes, quæ fructus plures annos per anticipationem pensionis, eò quòd in Successoris detrimentum, susterim Prælatus locans moriatur, cedere soleant.

Dico tertio. Si redditus ex fundo ad Prælatum, seu mensam ejus propriè spectent, non requisito Capituli consensu, concessionem, seu locationem facere potest pro tempore vite suæ *argum. c. veniens 8. ubi Abbas n. 1. de transactionibus. & idem Abbas hic n. 7.* Ratio dari debet, quia nullum contrahitur periculum seu Ecclesiæ, seu Successori, quia locatio expirat per mortem concedentis, seu locantis, cum sit pensionalis, seu dependens à vita concedentis tantquam usufructuarij. Vide, quæ docentur *in cit. c. veniens, & lib. 3. Morali: Theologia tra. 4. c. 10. n. 9. & videri potest Alexander de Nevo super Abbate in cit. c. ult. Prælati vices suas &c.*

CAPITVLVM III.

Cùm nos.

PARAPHRASIS.

Alienatio rei Ecclesiasticæ facta ab Episcopo, Capitulo contradicente, irrita est, & à Successore servari non debet, nisi eam Capitulum postea ratam habuisset.

Summa

SUMMARIUM.

1. *Faciliam à Prælato alienationem poteſt ex intervallo poſtmodum approbare Capitulum.*

2. *Ita, ut alienatio talis valere cenſeatur ab initio.*

NOTandum, Alienationem factam à Prælato Capitulum conſenſu ſuo, etiam poſtea, ſive ex intervallo interpoſito approbare poteſt. Ita *Gl. hic ferme communiter recepta. V. ratam. Innoc. in c. dudum, n. 3. de rebus Eccleſie non alienandis*, & dixi in c. 1. *limitatione 1. ſupra hoc tit.* Idemque cenſeri debet de iudicis, ſeu Superioris decreto, & auctoritate, in alienationibus, aut tranſactionibus videlicet rerum immobilium factis nomine minorum; item de domini conſenſu in feudi alienatione, ſatis eſſe, ſi poſtea conſenſus adijciatur etiam ex intervallo ſecundum *Bartolum in L. ſi quis mihi §. juſſum. n. 5. ff. de acquirenda hereditate*, & expreſſe tradit *Baldus in L. cum ipſe n. 5. L. de contrahendâ emptione.*

Sed obſtare videtur *L. obligari §. tutor jura Gl. V. debet. ff. de auctoritate tutoris. §. tutor Inſtituti eodem tit.* ubi dicitur, quòd tutor conſenſum & auctoritatem ſtatim in ipſo negotio præſtare debet, vel in continenti, ſeu non ex intervallo. Reſpondetur tamen cum *Gl. marginali hic ex Baldo cit. n. 5.* eſſe id ſpecialiter conſtitutum de pupillo, propterea, quòd ſpectato civili jure pupillus non cenſeatur habere conſenſum, niſi per conſenſum tutoris veluti informetur. Quare niſi in ipſo negotio concurrat tutoris conſenſus, valere non poteſt, quod agitur. Id verò intellige in ordine ad obligandum pupillum, ſeu firmandum contractum ex parte pupilli. At verò ad obligandum alterum contrahentem voluntas tutoris etiam poſtea accedere poteſt juxta *L. Julianus 13. §. ſi quis à pupillo. ff. de actionibus empti.* & dixi in c. 1. *hoc tit. limit. 1.*

2. Quæres, Num alienatio facta à Prælato ſine conſenſu Capituli, ſi is poſtea unà

cum tractatu ſuperveniat, cenſeatur ab initio fuiſſe valida; an verò ex tempore adhibiti conſenſus. Poſterioſerem partem tenet *Abbas hic. n. 5.* & ſumitur ex *reg. 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*; quando reſpondet, contractum per ſupervenientem conſenſum convalere, & non per ſolum tractum temporis, ſicuti in regula negatur. Rationem dare debemus; licet enim actum, qui ab initio irritus eſt, impoſſibile ſit, ita convalere, ut ab initio valuerit, niſi forte ſecundum juris fictionem; ſecus tamen dicendum, ſi actus ſpectato jure naturali valuerit propter adhibiſum conſenſum domini, aut legitimi adminiſtratoris, licet propter omiſſam ſolemnitatem ſpectato jure poſitivo non ſubſiſtat, tunc enim ſolemnitas hæc poſtea ſupervenire, & ita actus omnimodè confirmari poteſt, perinde ac ſi ab initio etiam poſitivo jure valuiſſet *argum. L. 1. C. de contractibus judicium.*

CAPITVLVM IV.

Novit.

PARAPHRASIS.

Episcopus, aliù ſve Prælatus cum Canonicis, aut Fratribus ſuis unum corpus facit, cujus ipſe caput eſt, & alij membra. Quare non decet, ut Prælatus omiſſis membris aliorum conſilio in Eccleſie tractandis negotijs utatur, cum id honeſtati, & SS. Patrum ſtatuti contrarium ſit. Quam ob rem diſplicet Alexandro III. quòd Jerolymitanus Patriarcha ſine Fratrum ſuorum conſilio, Abbates, & Abbatias, aliasque Eccleſiaſticas perſonas inſtituat, & deſtituat. Id verò Pontifex deinceps fieri Apoſtolicâ auctoritate prohibet, inſuper tales inſtitutiones, ac deſtitutiones irritas eſſe decernit.

SUMMARIUM.

1. *Communitas ſive collegium eſt quòdam corpus ſictum in favorabilibus*
Dd 3 etiam

etiam veniens sub nomine, quisquis, non autem in odiosis.

2. Sua Ecclesia negotia majoris momenti cum consilio sui Capituli ordinariè peragere debet Episcopus, nisi prescriptio, aut alia notabilis causa aliud suadeat.
3. Ita ut sapius non sufficiat consilium, sed consensus requiratur.

Notandum primò. Communitas, sive collegium est quoddam corpus fictum, ac veluti persona ficta: quam ob rem in favorabilibus, si materia sub eâ permittat, per vocem, *quicumque*, etiam Capitulum, aliâque legitimæ communitates, sive collegia comprehenduntur; secus autem dicendum de dispositione odiosa, cum communitas non sit propriè persona, prout annotavit Abbas hic n. 1. *argum. c. grave 29. de prebendis*. Ubi specialiter exprimitur, suspensionem ibi latam generaliter de Capitulis etiam esse intelligendam. Quòd verò vocula, *quis, quicumque*, si materia subjecta, & identitas rationis permittat, etiam famineum sexum comprehendat, legi potest in *L. 3. hac verba ff. de negotijs concessis*.

2. Notandum secundò. Episcopus negotia Ecclesiæ, etiam institutiones, & destitutiones Prælatorum cum consilio Capituli sui peragere debet; alioquin, quod agitur, tanquam contra canonem actum pro irritò haberi debet *juxta L. non dubium C. de legibus & tradit Gl. finalis hic*.

Excipe primò. Nisi in Ecclesijs sit præscripta consuetudo, ut Episcopus aliâve Prælatum negotia tractet, & jurisdictionem exerceat, non requisito Capituli consilio *c. 3. de consuetudine in 6.* Excipe secundò. Si negotia exigua, seu parvi momenti sint, per solum Episcopum, seu Prælatum expediri possunt, sicuti Abbas hic docet n. 6. & indicat Innoc. in *c. ult. n. 2. de majoritate*. Ratio est, quia ad Prælatum solum administratio, & cura Ecclesiæ pertinet. Excipe tertio. Quòd propter causam rationabilem v. g. revelstionis periculum, etiam

in arduis Prælatum Capituli consilium requirere non teneatur, *secundùm eundem Abb. hic. n. 6.*

Cæterum in alienationibus rerum, & ceteris negotijs, quæ communiter ad Prælatum, & Capitulum pertinent, aut in quibus Capituli specialiter interest, denique quotiescunque Ecclesiæ, vel Successoribus præjudicium generari potest, non sufficit consilij requisitio, sed plerumque etiam consensus requiritur, prout docuit in *de j. de jurisdictione ordinaria*. ubi de jurisdictione Episcopi. Et tradit hic Abbas n. 7. At verò in alijs negotijs expediendis, si sit dissensus inter Capitulum, & Prælatum, magis decet, ut membra capiti se contendant, quàm ut caput membris in sententia, ac voluntate adhærere debeat.

CAPITULUM V.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Alexander III. quòd Patriarcha Jerosolymitanus in beneficiorum collationibus, confirmationibus, & alijs Ecclesiæ negotijs tractandis, posthabitis Canonicis, aliorum Clericorum, & Laicorum consilio uteretur, interdum etiam Canonicorum absentium nomina concessis privilegijs subscribi faceret, ea propter admonet hic Patriarcham, ut negotia talia cum fratrum suorum seu Canonicorum, vel sanioris partis eorum consilio pertractet, & quæ statuenda sunt, statuat, atque errata corrigat, absentium autem nomina subscribi non sinat, cum talia instrumenta irrita sint, & ipse Patriarcha de crimine falsi argui possit.

SUMMARIUM.

1. Negotia sua Ecclesia cum suis Canonicis agere debet Episcopus;
2. Adhibendo saltem eorum consilium;
3. Qui absentium nomina, tanquam presentium, instrumento adscribi jubet, reus habetur de crimine falsi.

Notan-

Ea noscitur.

PARAPHRASIS.

Cùm in quadam provincia jus præsentandi ad Ecclesias Parochiales pertineret ad Collegia Regularium, Abbates per se, vel nullis litteris personas idoneas Episcopis præsentarunt, sed Monachi, antequam ex recepta essent, vel postea, contraxerunt. Ad hoc respondet Cælestinus III. præsentationes in hoc casu ad Prælatos non aliter spectare, nec validas esse, nisi fiant ex consensu Conventus. Quare si constiterit, consensum Conventus, vel majoris, & sanioris partis ejus, non intervenisse, institutiones rescindi debere, præterquam, si approbata consuetudine, aut per privilegium concessa libertate, Abbates ostenderint, in Ecclesiarum aut beneficiorum suorum collationibus conventus Consensum requirendum non esse.

SUMMARIUM.

1. Potest quidem præsentatio ad beneficium fieri ab absente, per litteras v. g. vel procuratorem; qui præsentatur tamen, personaliter præsens esse debet.
2. Si præsentatio ad Prælatus, & Conventum communiter pertineat, non valet ea, quæ à solo Prælato v. g. fit, nisi Conventus consentiat.
3. Et quidem major hujus, & sanior pars.
4. Habet tamen Prælatus Regularis magis liberum, & à Conventu independens in multis administrationis, & jurisdictionis exercitium.
5. Ita tamen, ut hac doctrina suas etiam exceptiones patiatur.

Notandum primò. Præsentatio Clerici ad beneficium fieri etiam potest ab absente per litteras, aut per procuratorem: qui autem præsentatur, debet esse personaliter præ-

Notandum primò. Reprehensionem meretur, si Episcopus, omisis Canonicis Fratibus suis, negotia Ecclesiæ cum aliorum Clericorum, aut Laicorum consilio peragat. De hoc dixi in c. procedente.

Notandum secundò. Satis esse videtur, si Episcopus in tractandis Ecclesiæ negotijs utatur consilio partis sanioris Capituli, seu eorum Capitularium, qui magis idonei sunt ad consilium dandum: nam ita magis satisficit Sacrorum Canonum intentioni. Ita summi videtur ex hoc cap. & est indubitatum, si consuetudo talem consultandi modum confirmet: quid autem de jure communi, dicam in c. sequente.

Notandum tertio. Crimine falsi teneatur is, qui nomina absentium testium, tanquam præsentium, aut absentium Canonicorum, tanquam qui præsentem consensum dederint, instrumento apponi facit. Ita hinc, & in Lege qui veluti 13. Cod. ad legem Cornelianam de falsis &c. Et tale instrumentum irritum est, prout hic dicitur, & explicat Gl. finalis. Quare jure cautum, ut testium subscriptiones per comparationem scripturæ recognoscantur, Authent. de instrumentorum cautione, & fidei collatione. 6. Verumtamen necessarium non est, ut testis, qui subscriptionem, aut sigillum apponit instrumento, sciat, quid in eo contineatur. L. hac consultiissima 21. cod. de testamentis. L. Cajus 30. ff. de pignoratitia actione. Nisi instrumento notarius inseruerit, in præsentia testium partes v. g. contraxisse. Porro si testis instrumento, in quo aliquid in præjudicium ipsius continetur, sciens subseribat, cum reclamando impedire possit, censetur consentire, & approbare secundum Gl. in cir. L. Cajus V. non obesse. versicula in autem dicas. Abbas in c. in litteris. n. 5. de transactionibus. & adde, quæ ibi dixi, & supra in c. 2. hoc tit.

præfens; id enim ipsa vox præsentationis postulat, ut videri, cognosci, & examinari possit, num idoneus sit, qui præsentatur, prout *Gl. notat in Clement. 2. v. presentari de sepulturis*. Si tamen persona antea factis nota sit, existimat *Abbas hic n. 3.* valituram præsentationem factam de absente.

2 Notandum secundò. Si præsentario ad beneficium communiter pertineat ad Prælatum, & Conventum, ea non valet, neque exinde consequens institutio, nisi Conventus consenserit. Idem pari ratione dicendum de beneficiorum collatione, *argum. C. unci. ne sede vacante in 6.* Veruntamen *Gloss. hic. v. contradicunt, & Abbas existimat, satis esse, si Conventus tacite consentiat, quia scit, præsentationem, aut collationem à Prælato fieri, & cum possit impedire, aut se opponere, non contradicit, secundum doctrinam ferè communiter receptam in c. 2. hoc tit.* quòd in alienationibus parum præjudicialibus & non perpetuis sufficiat tacitus Capituli consensus. Ego verò arbitror, distinguendum esse, num ad solum Prælatum præsentatio spectet, an etiam cum consensu Conventus, tunc vera est doctrina: an verò ad Prælatum & Conventum communiter *juxta cit. c. unicum.* tunc non sufficit consensus tacitus, quia in ejusmodi actibus legitimis, cujusmodi sunt electio, præsentatio &c. quæ verbis, aut scripto explicari debent, non supplet consensus tacitus, secundum doctrinam Baldi in *L. patrum. n. 15. ff. communia utriusque judicij. Sylv. v. consensus. q. 1.*

3 Notandum tertium. Non sufficit, ut major pars Capituli alienationi consentiat, nisi etiam sit sanior. Volo dicere: etiam si major pars consensum præbeat, quòd nihilominus minor pars sanior se opponere possit, ostendendo Ecclesie damnum proventurum *juxta c. 1. tit. sequentis*, & ideo non incongruè etiam legitur in textu hujus *cap. majoris, vel sanioris partis*, quia, etiam si major pars Capituli dissentiat, potest tamen pars sanior ostendere alienationis utilitatem, ac necessitatem, & ita con-

tra partem majorem obtinere. Ita *Gl. hic v. majoris*. Communiter verò, quando ad actum aliquem expediendum requiritur Capituli consensus, intelligi debet de parte majore Capituli *juxta cit. c. 1.*

Quæres: Utrum in monasterijs Prælatus regularis ita negotia Ecclesie agere debeat cum consilio Fratrum seu Conventus, sicuti Episcopus, aliisque Prælatus secularium cum consilio Canonicorum, spectato communi jure. Respondetur, quòd Abbas, sive Præpositus regularis magis liberum, & à Conventu independens administrationis, & jurisdictionis exercitium obtinet, quam alij Sæculares Prælati. Sumitur *ex cap. nullam 9. causa 18. q. 2. qua ad cultus divini reverentiam, vel ad utilitatem monasterij pertinent, Abbas sollicitus, ad quem totam potestatem pertinere convenit, debet adimplere*, ubi *Gl. v. tenet*, ait, quòd sollicitudo ita pertinet ad Abbatem, ut non pertineat ad Monachos; & Abbas eodem allegato textu ait *hic n. 4.* quòd tota potestas monasterij est potes Abbatis. Idem tradit *Imolinus in c. aduocati. Ibidem Abbas n. 2. de rescriptis. Sylv. v. Prælatus. q. 5. Tabiena v. Abbas n. 11.* ubi ait: quòd castigatio Monachorum ad Abbatem pertinet, neque tenetur Capituli consensum requirere. Non obstat, inquit *Tabiena*, quòd Episcopus non cogit Clericos sine Capituli consensu, aut consilio; nam sicuti per consuetudinem contrarium introduci potest, ut Episcopus Capitulum non requirat, ita per regulam Ordinis à Pontifice approbatam introductum est, ut coercitio ista, & aliorum monasterij negotiorum cura Prælato soli incumbat, idque convenienter statui Religiosorum, qui per votum obedientie Prælato in similitate penitus subijciuntur, *c. non dicantur 11. causa 12. q. 1.*

Excipe primò. Quòd in alienationibus rerum Ecclesiasticarum consensus Capituli, seu Conventus Regularis necessarius requiritur *c. 2. hoc tit.*

Excipit

Excipe secundò. Quòd in negotijs, valde arduis Conventus consilium requiri debet, nisi causa rationabilis excuset, quòd minus requiratur, secundùm Sylv. *cit. loc.* vel nisi consuetudo præscripta alicubi sit, ut Prælatus, ne in his quidem Conventus totius, sed aliquorum tantùm v. g. seniorum, seu majorum consilium requirat. Quà ratione Abbas ait *hic n. 4.* quòd per consuetudinem creatio Monachi ad solum Prælatum pertinere possit, licet secus sit de jure communi, propterea, quòd singulorum interesse videatur, quinam in Conventum recipiantur.

CAPITULUM VII.

Cum Apostolica.

PARAPHRASIS.

Inter Capitulum S. Stephani, & Monachos de Platea controversia orta fuit, super decimis, in qua compromissum est in Archiepiscopum, & Magistrum Scholarum. Bituricensis Monachi proposuerunt decimas sibi à quodam milite donatas, & donationem ab Archiepiscopo Bituricensi, tanquam Diocesano, confirmatam fuisse, ideòque ipsos auctoritate S. Hieronymi defendendos, qui ad Damasum scripsit, (sicuti Gratian. refert in *c. ult. causa 16. q. 1.* quamvis in scriptis Hieronymi non reperiatur) si aliqua fuerint malè detenta à Laicis, quæ divini juris sunt, & in usum transeant Monachorum, Episcopo præbente consensum, constabunt eis omnia perpetuâ firmitate; sed pars adversaria allegabat consensum Episcopi absque Cleri consensu non sufficere ex Leonis I. auctoritate in *c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2.* decernentis, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi sortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu, atque tractatu id eligat, quod sit pro-

futurum Ecclesiæ. His utrinque allegatis dubitârunt arbitri, & Innoc. consuluerunt, si decimas, quas Laicus detinebat, Ecclesiæ conferat, num ad confirmandam donationem Episcopi auctoritas sine Cleri consensu sufficiat. Respondet Papa, Laicum decimarum detentorem monendum esse, ut eas Ecclesiæ restituar, ad quam de jure spectant; sin autem induci non possit, & alteri Ecclesiæ, præsertim Religioso Conventui, donare consentiat, donationem cum Diocesani consensu perpetuò firmam fore, nam auctoritates, seu Canones allegati, licet diversi sint, non tamen adversi, seu contrarij; cum aliud sit alienare rem, quæ ab Ecclesia possidetur, aliud verò rem, quæ à Laico detinetur, ad usum Ecclesiæ revocare. In alienatione illa Episcopi consensus sine Cleri consensu non sufficit juxta Leonis I. Canonem. At verò in revocatione secundùm Hieronymi sententiam, sufficit consensus Episcopi, cum etiam per hanc revocationem Ecclesiæ consulatur. Accedit in Consilio Lateranensi sub Alex. III. inhibutum fuisse, ne persona secularis Ecclesias, aut decimas sine Episcopi consensu à Laicis accipiant, quâ loquendi formâ per obliquum indicatur, Episcopi consensum sufficere; id verò de ijs decimis intelligendum, quæ Laicis in feudum perpetuum concessæ sunt.

SUMMARIUM.

1. Cum Diocesani consensu, nihil requisito Capitulo, potest monasterium v. g. retinere decimas, in feudum Laico concessas, ante Consilium Lateranense, & hic, & nunc monasterio traditas.
2. Argumentum à speciali ad ratiò excludendum aliud speciale, sive, ut alij loquuntur, argumentatio ad sensum contrarium in jure efficax est.

Ee

Notan-

Notandum primum. Si Laicus decimas, quas in feudum à Prælato Ecclesiastico habet, ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. acceptas, velit alteri Ecclesie, vel monasterio, à quo feudum non recognoscit, assignare, id fieri potest cum Diocesani consensu, etiam non requisito consensu Capituli. Ratio redditur in textu, quia hæc non censetur alienatio, sed potius revocatio rei Ecclesiasticæ ad Ecclesiam saltem universalem, ad quam principaliter spectat, prout annotavit *Suarezius* 10. 1. de religione lib. 1. de divino cultu c. 26. n. 13. Oportet tamen distinguere; vel enim Laicus ante Lateranense Concilium decimas iuste obtinuit à Prælato in feudum datas, vel detinuit iniuste. Hoc posteriore casu moneri, & si fieri possit, induci debet, ut eidem Ecclesie, ad quam de jure pertinent, restituat; sin autem adduci non possit, tunc Episcopus loci consentire potest, ut alteri Ecclesie, vel monasterio donentur, cum præter decimarum jus apud aliquam Ecclesiam, aut monasterium esse, quàm apud Laicum; & ideo altera Ecclesia, ad quam decimæ de jure pertinerent, propter bonum publicum, & auctoritatem Prælatorum Ecclesiasticorum rationabiliter contenta esse debet, sicuti si miles calicem consecratum abstulisset ex Ecclesia aliqua, & vel non posset, vel nollet eidem restituere, induci posset cum Episcopi consensu, ut alteri Ecclesie daretur *argum. hujus textus*. Sin autem decimas iuste, & cum legitimis requisitis, accepit in feudum, tunc iterum distinguendum. Vel enim eas reddere vult Ecclesie proprietarie, à qua habet, & potest suo arbitratu, etiam non requisito Episcopo. *argum. c. 2. S. sanè de decimis in 6. ubi Gl. tradit*; sin verò alteri Ecclesie, aut loco Religioso, Episcopi consensus accedere debet, prout habetur *in cit. S. sanè c. 3. de privilegijs* propterea, quòd Laici de rebus Ecclesiasticis, cujusmodi est jus decimarum, absque Prælati Ecclesiastici auctoritate disponendi facultatem nullam habent *c. 1. & sequenti-*

bus causa 16. q. 7. At verò post Lateranense Concilium Prælati præter Romanum Pontificem, concessum non est, decimas in feudum dare Laicis, quam ob rem, si cognitum sit, post illud tempus decimas Laico sine Romani Pontificis consensu datus fuisse, eas Laicus omnino restituere debet Ecclesie, ad quam pertinent. Verum tamen si particulari Ecclesie illi, ob quamcunque causam, etiam injustitiam, & violentiam Laici, restitutio facienda non sit, tunc in alteram Ecclesiam, maxime monasterium, seu Religiosorum congregationem, cum Episcopi auctoritate transferri posse colligitur ex textu *hujus cap. c. ult. causa 16. q. 1.*

Notandum secundò. Efficax in jure est argumentum, quod dici solet à speciali ad tacitè excludendum aliud speciale, illud vocari solet argumentatio ad sensum contrarium. Si enim legislator de uno affirmavit, de altero præterito indirectè negasse censendus est, quando ita materia comparata est, quòd etiam alterum expressisset, nisi excludere voluisset, ut in proposito exemplo, cum Concilium Lateranense in translatione decimarum à Laico ad Ecclesiam, vel monasterium Episcopi consentium dixerit esse necessarium, nullà factà mentione Cleri, indirectè censetur negasse consentium Cleri necessarium esse. Verum tamen si ex sensu contrario absurditas quadam sequeretur, aut alterius Legis correctio, tunc huic argumentationi locus non est, prout admonet *Gl. finalis in c. de multa 28. de præbendis*; quòd lex non censetur sublata, nisi ei expressè derogatum, seu revocatio expressa sit.

CAPITULUM VIII.

Tua nuper.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Innocentio III. num Episcopus, seu electus, cum Archidiacono sine Cathedralis Capituli consensu, 11

bricam, & rectoris, atque reliquorum ministrorum sustentationem. Exinde inferunt *Anton. & Abbas hic. n. 2.* si ad ædes hominis laici, aut privatæ personæ imago sacra constituta esset, ad quam fideles oblationes deferrent, eas pertinere ad Ecclesiam Parochialem, intra cujus fines ædes sitæ sunt, nam oblationes istæ hoc ipso, quod fiant ob Dei cultum, pertinent ad Ecclesiam, & sunt sub administratione Rectorū, & Prælatorum Ecclesiæ. Plura de hoc dicentur *in c. 3. de Ecclesijs edificandis.*

2. Notandum secundò. Episcopus cum consensu Capituli potest Ecclesiæ abundantiam redditibus pensionem imponere, aut veterem augere, ut alteri Ecclesiæ, vel beneficiario alicui indigenti, alijsve necessitatibus succurratur. Ita sumitur *ex hoc. c. & docet S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 4. ad 4.* quem allegavi *lib. 4. r. a. 2. c. 19. q. 3. editione 3.* ubi etiam explicavi, an & quâ ratione Episcopi in Germania tales pensiones imponere soleant, videlicet ex causa justa, vacante beneficio, & ad tempus durantis necessitatis; alioquin verò Romanæ curiæ consuetudo ejusmodi pensionibus adversatur, sicut ibidem docui.

CAPITULUM ULTIMUM.

Et si membra.

PARAPHRASIS.

Capitula Ecclesiarum Cathedralium Senonensis Provinciæ quæstæ sunt apud Innoc. III. quod Archiepiscopus Senonensis, & Coepiscopi procuratores missos à Capitulis ad Concilium Provinciale admittere noluerint ad tractatum, eo intellecto Papa rescribit, & mandat, ut Capitula ista ad Concilium invitentur; & eorum nuncij ad tractatum admittantur, maxime in ijs negotijs, quæ ad ipsa quoque Capitula pertinent.

SUMMARIUM.

1. Capitula Ecclesiarum Cathedralium ad concilia provincialia invitari debent.

2. Non tamen spectato jure communi, vocem decisivam habent, nisi eorum proprie casus aliquis intersit.

3. Et hinc aliud est tractatus, seu discussio alicujus materia, aliud decisio illius, seu sententia, aut confessio.

Notandum primò. Ad Concilia Provincialia Ecclesiarum Cathedralium Capitula, invitari debent, ita, ut si per se, vel per procuratores suos adveniant, etiam ad tractatum admitti debeant; maxime in ijs negotijs, in quibus etiam ipsorum Capitulorum interest, nam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *29. Reg. in 6.* Adverte primò. Quod Capitula invitari debent; nam cogi non possunt adveniendum, nisi alia sit Ecclesiarum consuetudo. Secundò, quod Capitula Cathedralia, licet ad tractatum, & consultationem admitti, debeant, tamen vocem decisivam spectato communi jure non habent, nisi eorum proprie intersit, ita, ut consensus requirendus sit.

Videri etiam potest *Trident. sess. 22. c. 2. de reformatione*, ubi præcipitur, ut Metropolitanus, eoque impedito Episcopus antiquior quolibet triennio synodum cogere non prætermittat, quod Episcopi omnes, & alij, qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis ijs, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Qui autem præter Episcopos de jure vocari, & venire debent, perinde ut Episcopi, sunt Prælati, qui similem Episcopali jurisdictionem obtinent, teste *Azor rom. 2. lib. 3. c. 4. §. 2.* Alij autem Abbates, ac Præpositi propriam consuetudinem provinciarum talem accedendi obligationem, & jus decidendi in Provinciali Concilio habere possunt, testis eodem *Azor cit. 10.* Ordinem autem sessionis in Concilio Provinciali videre licet apud Zerolam in praxi *p. 2. v. concilium. & in declarationibus super cit. c. 2.*

Notandum secundò. Aliud est tractatus, seu discussio alicujus causæ, & negotij, & aliud electio, sententia, aut confessio.

us, prout *exc. 2. dist. 63.* colligitur; tractatus enim præcedit, hæc autem sequuntur, quare si ex statuto, vel mandato aliquis ad tractatum admitti debeat, hinc tamen consequens non est, quod vocem decisivam, aut suffragium quoque habere debeat. Circa *Gl. finale* dicendum, quod Laici potestate præditi, Concilijs interesse possint, tanquam testes, patroni, ac defensores, non item, ut ipsas controversias

fidei, aliæque Ecclesiastica negotia tractent, multò minus decidant *argum. c. 2. dist. 63. & notavit Joann. And. hic in fine c.* atque tradit *S. Ambrosius lib. 5. epistolâ 32. ad Valentinianum Augustum.* Agnovit Gratianus imperator in epistola lecta in Aquilienſi Concilio. Theodosius, & Valentinianus junior in epistola ad Concilium Ephesinum. Nam Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent *c. 2. de judicijs.*

TITULUS XI.

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAIORE PARTE CAPITULI.

Postquam dictum fuit de negotijs Ecclesiæ, quod à Prælato cum Capituli consilio, & in quibusdam casibus cum consensu ejusdem tractari debeant, sequitur, ut de ijs jam negotijs, quæ propriè ad Capitulum spectant, agatur.

CAPITVLVM I.

Cùm in cunctis.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem ratio dicit in cunctis Ecclesijs id, quod pluribus, & sanioribus Fratribus visum fuerit, sine cunctatione observandum esse, idè grave, & dignum reprehensione est, quod in aliquibus Ecclesijs interdum pauci non tam ex ratione, quàm propriâ voluntate Ecclesiasticam ordinationem impediunt, & procedere non permittunt, quare in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *c. 16.* decretum fuit, ut nisi pauciores, & inferiores rationabiliter aliquid objecerint, atque ostenderit contrarium, id quod à majore, & saniore parte Capituli statutum fuerit, remotâ appellatione

semper prævaleat, & effectum suum consequatur. Neque constitutioni isti obstare debet, si quispiam ad Ecclesiæ suæ consuetudinem conservandam se juramento astrictum proponat, cum non juramenta, sed potius perjuriam dicenda sint, quæ contra Ecclesiæ utilitatem, & SS. Patrum instituta tendunt; si quis autem talem consuetudinem, quæ nec ratione juvatur, nec sacris Canonibus congruit, jurare præsumperit, à perceptione Corporis Domini, donec dignam egerit penitentiam, alienus maneat.

SUMMARIUM.

1. Quod major parti, vocem decisivam habenti, in Capitulo congregatorum placeat, executioni mandandum est, appellacione remotâ.
2. Absentes à loco vocari ordinariò, aut expectari non debent.
3. Nisi negotium arduum esset, aut tendens in præjudicium absentium.
4. Auditur tamen minor pars contradicens, si major pars irrationabiliter conclusit aliquid, aut in damnum Ecclesiæ.

Ec 3

3. Nov